

absque Grammatica; quæ est lingua cõmunitatis, & Rhetorica quæ bonum communis vitæ suadet. Quemadmodum dicebamus legem eiusdem esse virtutem in politicis. Qui autem ad populum loquitur, longioribus indiget argumentis ad ostendendum quod bonum; quid eligibilis; idcirco oratione longa utitur, & ex popularibus axiomatis, & consuetudinibus confirmat. Qui verò philosophos alloquitur, breuibus, & ex rei natura depromptis.

Idcirco Zeno talem inter Dialecticam, & Rhetoricam statuit differentiam, qualis inter Palmam contractam & expansam. Hæc tamen differentia non ad essentiam, sed ad quantitatem, & per accidens est ab externis: Neque semper vera. Cum n. Orator ad Senatum loquitur, breuiter orat, vt Cicero solet, & in Areopago sine proœmio olim: cum ad populum, profusius, & sæpè per crassa exempla. Item contingit syllogismum Logicum ex tribus propositionibus in Dialectica factum, construngi in vnâ propositionem Rhetoricam, sic. Nunquid Petrus filius occidit Ionam Patrem suum sine causa? in qua interrogatione includitur maior (*Nullus filius occidit Patrem sine causa*) & Minor (*Petrus occidit Ionam Patrem*) & conclusio. (*Ergo Petrus non occidit Ionam sine causa*) vbi sane fallit Zenonis distinctio. Similiter in vna Cæsaris propositione, cum in feruore belli pharsalici dixit, *Abstine à ciuibus*, oratio prolixa continebatur: quæ victoriam partam, iam persuasit, suos victores fecit; contrarios ciues clementiæ affectu ligauit, & amore emolliuit, vt vix pugnare ultra valerent: auxiliosos verò fugauit eum contra se solos totum bellum inundare intelligerent.

Nec Rhetorica est germen Logica, vt Arist. definit; licet vtatur omnibus argumentis, quæ Logicus conficit. Nam & omnes scientiæ vtuntur omnibus argumentis, quidquid Arist. dicat. *Est enim Logica omnium scientiarum organum*; nec tamen scientiæ sunt illius germina, sed sapientiæ potius Metaphysicæ, si per ramos arbor ista consideretur.

*Neque est ars solum benedicendi*, licet ethymologia arri-